



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore Creaturarvm Omnivm. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

XXXV. Quibus dispositionibus affecta sint corpora, quæ Angeli assumu(n)t.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

alii declarant non esse ex puro aëre, sed ex corpore aëreo crassiore, quod sit aliquod mixtum imperfectum, ut vapor, vel nubes. Quia hæc materia est aptior, ut condensetur, usque ad soliditatem corporis figuræ, & coloris capacis, atque etiam est sufficienter resolvable, ut possit tale corpus iterum facile dissolui, & dissipari. Veruntamen existimo non esse in re diffusionem inter hos, nullum enim eorum dicit purum aërem esse materiam horum corporum, imo D. Thomas dixit aërem in sua raritate permanentem non sufficere, sed condensatum instar nubium. Et Durandus dixit formari alia corpora ex aëre inspersato, qui facillime colorari, & figurari potest, ut patet in nubibus.

6. Ad maiorem autem intelligentiam notari potest sermonem esse posse vel de materia ex qua proxime, seu intrinsece constat illud corpus, quod Angelus assumit in illo eodem tempore, in quo illum assumit, quæ dici potest materia proxima. Vel sermo esse potest de materia extrinseca, seu remota, in qua etiam potest esse latitudo: nam quædam esse potest, quasi prima, & remotissima materia, alia magis propinqua, id est, minus distans ab illa dispositione, quam corpus assumendum requirit, ut speciem referat illius rei, quam Angelus repræsentare intendit. Loquendo ergo de materia propinqua, seu intrinseca, certum est non posse esse solum elementum aëris. Imo fortasse non semper quilibet substantia vaporis alicuius, vel quasi nubes sufficeret, quia ad formanda talia corpora aliquando potest esse necessaria tanta condensatio, ut sub illa nec forma aeris, nec alterius communis vaporis, aut nubis conservari possit. Erit ergo tunc aliqua substantia mixta resultans ex nimia compressione facta virtute angelica, concurrente aliqua mixtione subtilium corporum per artem angelicam (ut sic dicam) ita applicatorum, & se invicem transmutantium, ut ex eis una substantia resultet, apta ad talis corporis formationem. Est enim huiusmodi corpus quatenus sic formatum, quasi ens artificiale, cuius forma est figura, seu species, aut imago illa, quæ apparet: materia vero est tota illa substantia, in qua est illa species externa. Et hanc substantiam dicimus non esse aërem, nec semper habere propriam substantialem formam communium vaporum, aut nubium, sed alterius mixti imperfecti nobis ignoti, quamvis aliquando etiam possit esse substantia nubis, vel alicuius exhalationis iuxta conditionem, & modum corporis assumpti.

7. At vero loquendo de materia quasi extrinseca existimo non repugnare illam esse aërem, si de remotissima loquamur, quam etiam vocamus primam, non quia sit prima substantialiter, id est, pura potentia, sed quia est prima, ex qua quasi incipit tale corpus formari. Sic ergo non repugnat purum aërem esse materiam corporis assumendi: quia aer potest paulatim condensari, & ita mutari quantum ad formationem corporis necessarium fuerit, etiam si oporteat substantialiter transmutari, vel semel, vel aliquando etiam sæpius, iuxta conditionem, & exigentiam corporis assumendi. Et fortasse Angeli sancti sæpe ita faciunt, assumendo corpora ex puriori, & superiori aëre, quod Beda, & Ilidorus significare voluerunt. Quia vero alia corpora aërea, quæ aliquam mixtionem habent, & crassiorem substantiam, sunt minus remota, & in suis dispositionibus similia corporibus efformandis & assumendis, ideo verisimile est ex huiusmodi materia formari, vel ut ita dicam, inchoari formationes corporum, quæ ordinarie Angeli assumunt, quia, & talis materia regulariter præsto adest, & ad finem intentum facilius est, & in eandem facile resolui potest corpus assumptum, quando dimittitur, & dissipatur. Et de Materia corporum, hæc etiam materia verisimile est ab angelis sanctis sumi ex purioribus corporibus, quæ in superiori parte

aëris inveniuntur, à demonibus vero ex locis terrestribus humidioribus, & fortasse immundis, ac cenosis, quia in pœnam suæ malitiæ, & prævæ intentionis, aliud eis non permittitur.

CAPVT XXXV.

Quibus dispositionibus affecta sint corpora, quæ Angeli assumunt.

IN hoc capite tractandum est de veritate istorum corporum saltem quoad accidentales dispositiones, quæ in ipsis apparent, quod supra tertio loco declarandum proposuimus. Et quia præcipua huius rei difficultas maxime ostenditur in corporibus, quæ sub humana specie assumuntur, ideo de illis in particulari dicemus. Erit enim facile ad cætera doctrinam applicare. In hoc ergo puncto Tertullianus sensisse videtur, quando Angeli apparent in forma hominum assumere vera corpora humana ex vera carne, & ossibus constantia. Ita sentit libro tertio contra Marc. capit. 9. Vbi Marcioni opponenti contra veritatem carnis Christi, quod Angeli apparuerunt Abraham, & Loth in phantasmate putatiue carnis. Respondet. Scito nec illud concedi tibi, ut putatiua fuerit in Angelis caro, sed vera, & solida substantia imago. Infra dicit, in illa exercuisse veros sensus, & actus carnis, quia vere sunt congressi, & pasti, & operati; quod est mandatum fuerat. In quibus verbis ex operationibus angelorum in corporibus assumptis, corporum veritatem colligere videtur. Et inferius cap. 11. repetit, Angelos in vera carne conuersatos esse. Et similia habet libro de carne Christi, cap. 6. quamvis ibi obscurius loquatur.

Potestque hæc sententia suaderi, quia illa corpora, non solum visui apparent, quod facile fieri potest per simulachrum, seu imaginem hominis tantæ magnitudinis, & talis figuræ, talisque coloris, quæ in corpore aëreo, & distante aliquantulum facile ostendi possunt. Imo nec veri colores semper necessarij sunt, quia etiam apparentes possent visum terminare, sicut in iride videmus, vel interdum in nubibus cæli, & ita etiam poterunt Angeli in corpore aëreo peculiari modo illuminato colores non veros, sed apparentes efficere. Nec etiam per solam vocem, & auditum manifestantur: nam etiam possunt facile efficere reale sonum in externa specie similem voci, quamvis reuera non sit vera vox, id est, per animalia organa vitaliter formata. Sed quod difficilius est, etiam se tangi sinunt, & soliditatem ossium, carnisque veritatem ostendere videntur: quia corpus aëreum non videtur posse esse ita solidum, seu durum, aut molle, ut tactui resistat, & tactu percipiatur. Vnde D. Augustin. in Enchirid. capit. 59. Quis, inquit, explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, ut non solum cernerentur, verum etiam tangerentur. Et paulo post addit, faciuntque difficillimam questionem, quomodo Patres, qui pedes lauerint, quomodo Isaac cum Angelo tam solida contræctione luctatus sit. Et tandem concludit, hæc sine crimine nesciri, & adeo esse obscura, ut vix aliquid affirmari possit, vel negari. Nihilominus tamen ex signo illo videtur vrgenter probari veritas carnis. Et augeatur difficultas, quia Christus Dominus hoc signo maxime usus est post resurrectionem ad ostendendam sui corporis veritatem, ut patet ex verbis illis Luc. 24. Palpate, & videte, quia spiritus carnis, & ossa non habet, sicut me videtis habere. In quibus supponit illud signum esse efficax ad veritatem carnis, & ossis ostendendam, sed corpora assumpta ab Angelis, & que palpabilia ostendebantur, ergo sufficienter illo signo probantur fuisse vera corpora.

Nihilominus dicendum est corpora quæ Angeli assumunt.

ne assumuntur.

Opinio Tertulliani.

Angelos in vera hominis carne, & specie apparentes.

2. Ratines pro opinione Tertulliani.

3.

*Verasenten-
tia contraria*

assumunt sub specie humana, non habere organiza-
tionem corporis humani, etiam quoad dispositiones
accidentales singulorum membrorum, ut carnis, of-
fium, &c. Ita docent communiter Doctores in 2. dist.
3. & 4. & D. Thomas ac discipuli eius in dicta quest. 51.
artic. 2. Idemque sentiunt Patres supra allegati, &
praesertim Damascenus hac ratione vocat illa corpo-
ra phantastica, non quia non sint exterius sensibilia,
sed quia talia non sunt, qualia apparent. Eidem
supponit Augustin. lib. 2. de Trinit. cap. 2. & lib. 3. capit.

*Probat
primo.*

2. Et probatur primo, quia si illa corpora essent ve-
re organica, & in hoc eiusdem rationis cum veris
corporibus humanis, haberent formam substantia-
lem tali dispositioni proportionatam: quia nec alia
forma potest esse in materia sic disposita, nec potest
materia cum talibus dispositionibus absque forma
substantiali permanere. Nam licet Deus virtute
sua possit vtrumque supernaturaliter facere: tamen
nec Angeli possunt huiusmodi miracula facere, nec
putandum est à Deo fieri, quos Angeli talia corpo-
ra sumunt: nam hoc nec necessarium est, nec cum
fundamento dici potest. Eadem ratione cogitan-
dum non est talibus corporibus infundi veras ani-
mas rationales: erronea enim, & haeretica esset talis
cogitatio, alioquin illi essent veri homines quoad
integram humanam naturam, & consequenter pos-
sita permanerent, donec vitam ordinario modo fini-
rent, quod est contra id, quod de his apparitionibus
Scriptura narrat. Et praeterea tales homines non ef-
ficerent ex Adamo, & consequenter producerent sine
peccato originali ex vi suae originis, quae omnia sunt
contra fidem, & contra Scripturam. Omitto autem
testimonia, quia res clara est. Fortasse autem diceret
Tertullianus Angelos assumentes illa corpora viuifi-
care illa, & vicem formae substantialis supplere: sed
hoc falsum omnino esse in capite sequenti osten-
demus.

*Confirma-
tur.*

Aliter euadi potest hoc argumentum, dicendo, si-
cet talia corpora sint organica, & vera carne, & osi-
bus consent, non tamen in eo perfectionis gradu, in
quo sint vltimae disposita ad receptionem animae
rationalis, sed in alio inferiore, qui ad soliditatem
corporis sufficit, ita ut palpabile sit, & ex parte du-
rum, & ex parte molle sentiat. Nam huiusmodi
corpus possibile est, ut patet in corpore humano
paulo ante animationem factus, & statim post ani-
mae separationem. Poterit ergo Angelus simile cor-
pus assumere, & illud ita mouere, ut & visui, & au-
ditui, & tactui viuum esse videatur. Respondeo in

Euasio.

primis non posse Angelum naturali virtute tale cor-
pus formare, quia talis organizatio fieri non potest
per solam extrinsecam applicationem agentium, &
passiuorum, sed ex natura sua determinat vitalem
modum, quo virtute seminis, & aliarum partium
vteri materni quae ad hoc opus à natura determina-
tae sunt, à principio usque ad animationem fiat. Un-
de nec illa dispositio suo modo organica, quae in ca-
dauere manet, posset naturaliter immediate fieri ap-
plicando actiua passiuis animalia perfecta pro-
ducere, non enim est minoris virtutis dictam orga-
nizationem efficere. Imo si angelus posset inchoare
humani corporis organizationem veram, & illam
vsque ad aliquem gradum vltimae dispositioni vicini
promouere, eadem ratione posset illam consumma-
re, nulla enim ratio discriminis, vel maioris impo-
tentiae assignari potest.

Refellitur.

4. Effugium aliud.

Arque hinc fit, ut mali angeli nunquam talia cor-
pora formant, ut illa assumant, scilicet, quia natu-
raliter id non possunt, ut dictum est, & diuinitus non
adiuantur specialiter, ut aliquid supra virtutem
suam, & naturalium causarum faciant, ut supra o-

Confutatur.

5. Organiza-
tio perfecti
animalis
efficitur
ab Angelo.

tenum est. Et potest hoc experientia confirmari,
quam adducit Caiet. 2. 2. q. 95. a. 3. de homine, qui de-
moni succubo copulabatur, & delectationem natu-
ralem, quam vera femina sentire solebat, non acci-
piebat, de quo cum apud daemones conquiretur,
ille respondit, se non posse melius corpus effingere,
id est, verum, & aptum ad praedictum effectum
praestandum. Dixi autem non posse daemones
huiusmodi corpus formare, quia si permittatur, as-
sumere corpus alicuius defuncti, potest & in eo se
praebere tangendum, & palandum cum vera duri-
tie, & mollicidine ex parte corporis, adiunctis et-
iam ab extrinsecis causis calore, & aliis qualitatibus
sufficiatibus, ut tactui viuum appareat. Veruma-
men sine dubio credendum est, nunquam hoc per-
mitti daemones circa eorum corpora, qui iusti mor-
tui sunt, quia non decet, nec est diuinae amicitiae con-
sentaneum. De aliis vero fortasse aliquando id ac-
cidit, raro tamen existimo, vel nunquam id daemones
permitti, quia non datur illi tanta licentia, praeter-
tim in Ecclesia Christi ad homines decipiendos.
Quin potius obseruatum est, daemones nunquam
assumere simulachrum corporis humani quoad om-
nes partes illi simile, sed saltem ex pedibus discer-
ni posse, quia semper sub figura alterius animalis ap-
parent, ut obseruat Petrus Binsfeldius in tract. de Con-
fessionibus maleficorum, praefatio 1. 2. ex historia quam re-
fert Alex. ab Alexand. lib. 4. Genialium, cap. 19. & ex al-
liis, quas ipse adiungit ex Caelio Rhodigino lib. 16. de
demon. antiquarum, c. 5. & ex variis confessionibus ma-
leficarum.

5.

Ac vero sancti Angeli, quamuis naturali virtute
taliam corpora vera formare non possint, per diuinam
id facere non repugnaret, quia non est dubium,
quin Deus virtute sua id facere possit, ergo etiam id
potest facere per ministros suos. Nihilominus ta-
men credendum non est, nec asserendum Angelos
etiam sanctos in huiusmodi corporibus apparere
vires. Primo quia nullus Theologorum hoc asseruit, sed
potius illa corpora esse aërea, & quasi phantastica, ita
ut dixit Damascenus in sensu supra explicato. De-
cundo, quia solida, & vera corpora, nec tam cito
formari, nec tam celeriter resolui possent in pri-
centem materiam, ut de facto fieri videtur: nam su-
bito euanescent: ita ut non appareant. Quamuis
enim responderi possit, vel diuina virtute, vel per
velocissimum motum Angelum, sine corporis assu-
mptione dissolutione fieri posse, ut subito non appareat,
nihilominus ille modus familiarior est, & quan-
tum ex signis & coniecturis iudicari potest, verissi-
mior. Unde est tertia ratio supra tacta, quia non
sunt asserenda opera miraculosa, vel supernaturalia
sine necessitate, in presenti autem huiusmodi corpo-
ra non sunt necessaria ad effectus propter quos assu-
muntur, sed ad omnem representationem eorum
phantastica corpora sufficiunt, ergo talia sunt corpo-
ra, quae angeli etiam sancti assument, quia media esse
debent fini proportionata, & frustra hic per plura,
quod potest fieri per pauciora. Quod autem huius-
modi apparentia corpora sufficiant, patebit respon-
dendo ad difficultatem in principio positam.

*Demon-
quare nun-*

Ad Tertullianum ergo respondemus, si ita sentie-
runt, eamque assertionem ad defendendam veri-
tatem carnis Christi non fuisse necessariam. Quia
Christi caro fuit vere animata rationali anima, & de-
cundo eam potuit Christus vere concipere, nasci, pa-
ti, mori, & resurgere. Unde assumpta est, non transi-
torie, sed ut perpetuo duret Verbo substantialiter
vinita, ac denique assumpta est ad effectus satisfaci-
endi, & redimendi, qui per apparentem carnem fie-
ri non possent. Pamelius autem excusare conatur
Tertullianum, quia lib. de Resurrectione Carnis, c. 62. di-
cit, Quod Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, &
dando, bibendo, & pedes lauari porrigendo, humanam cum
superficiem induerant, salua in eis substantia propria. Quae
qui

quidem verba recte ostendunt illa corpora non esse ita humana, vt anima rationali informetur, quod autem non fuerint vera quoad carnem, & ossa, non declarat, & ita non repugnant his, quæ in aliis locis apertis verbis asseruntur. Afferit etiam verba eiusdem Tertulliani lib. de carne Christi. ca. 6. dicentis: *Constat Angelos carnem non propriam gestasse, vt puta naturæ substantiæ spirituales, est corpus alicuius, sus tamen generis, in carnem autem humanam transfigurabilem ad tempus, vt videri, & congrui cum hominibus possent.* Minus tamen exulant hæc verba Tertulliani: nam prius dixerat Angelos apparuisse Abraham in carne sine naturitate, & iterum ait accepisse substantiam carnis. Postea vero in citatis verbis solum dicit illam carnem non fuisse propriam, id est, contraturalem substantiæ angelicæ, quia vel hæc pure spiritualis est, vel si corpus habet, est sui generis, id est, alterius ordinis: carnem autem, in qua transfigurantur, id est, apparent Angeli, iterum dicit esse humanam. Igitur vel non recte sentit, vel non recte loquitur, nec bene argumentatur à carne assumpta ab Angelis ad carnem assumptam à Verbo Dei, solumque posset exemplum in hoc accommodari contra eos, qui dicebant assumptum fuisse Christum carnem de materia cælesti, quod sicut Angeli assumunt apparentia corpora ex materia elementari, & non cælesti, ita Verbum potuit assumere verum corpus humanum de inferiori, & proportionata materia.

8. Ad rationem respondemus confitendo cum Augustino difficultas explicari quomodo Angelorum corpora, cum sint aërea, palpari possint, & tangi, ita vt tactui vel solida, vel mollia appareant, quam quomodo visui tanquam vera corpora humana representari possint. Nihilominus tamen dicimus posse angelum per eandem virtutem, per quam corpus assumit, facere vt corpus illud, quamuis in se solidum non sit, solidum tactui appareat, nimirum sua virtute resistendo, ne partes talis corporis facile cedant, aut diuidantur. Corpus enim subtile, aut aëreum ideo non tangitur illo modo, quo corpus densum, & solidum, quia tale corpus facile diuiditur, & partes eius loco cedunt, & ideo si partes corporis assumpti, nec diuidi possint ad tactum alterius hominis solidæ, & firmæ tactui apparebunt. Diximus autem supra Angelum per eandem virtutem, per quam corpus se eundem locum mouere potest, posse detinere, seu continere corpus in aliquo loco, ne inde moueatur, & consequenter ne alteri impellenti cedat: eodem ergo modo facere potest, vt pedes, v. g. corporis assumpti solidi appareant, & apti vt lauentur, & vt totum corpus sit aptum ad lustram, &c. Et per eandem virtutem potest angelus facere, vt quædam partes molliores ad modum carnis, & alię densiores ad modum ossis appareant: nam potest magis vel minus resistere, & in quibusdam nil omnino cedere, in aliis vero aliquantulum cedere, non ita vt diuidantur, sed vt aliquo modo comprimantur.

9. Dices hoc non satis esse, vt corpus illud tactui palpabile appareat, quia vt alias dixi in 2. tom. 3. p. 9. 5. 4. ar. 3. in Comm. circa sol. ad 2. corpus non est palpabile ratione solius resistentiæ. Nam cælum etiam resistit, & non cederet manui supra illud progredi conanti, & nihilominus non est palpabile, ergo ille modus resistentiæ ex parte Angeli sufficiens non est, vt corpus ab eo sumptum sit palpabile. At vero quando Abraham lauabat pedes Angelorum, vere tangebant illos, & palpabiles sentiebat, ergo illa resistentia non sufficit ad hunc effectum, seu experimentum explicandum. Et declaratur ratione dicto loco facta: quia nihil aliud est corpus esse palpabile, nisi esse perceptibile per sensum tactus, non per modum mediū seu extrinseci agentis, & induentis qualitates sensibiles, vt calorem, & frigus, sed per modum obiecti in se habentis qualitates, quæ per sensum tactus sentiri possint: ad hoc autem non sufficit resistentia, quæ ab agente extrin-

Suarez de Angelis.

seco, vel à cælo fieri potest, ergo, & ita dixit D. Thom. in dicta solutione ad 2. Corpus non dici palpabile solum ratione resistentiæ, sed ratione sua spissitudinis: & addit, *Ad rarum autem, & spissum sequitur graue, & leue, calidum, & frigidum, & alia huiusmodi, ergo secundum D. Thomam, vt corpus sit palpabile debet esse densum, ita vt ratione densitatis, seu spissitudinis contrahatur, & præterea debet esse affectum qualitativis primis, vel mediis, vt percipi possint.* At vero in corpore assumpto ab Angelo non est talis densitas, nec affectio aliarum tangibilium quantitatum, ergo non potest esse vere palpabile per solam Angeli resistentiam extrinsecam, ergo oportet, vt veram carnem, & ossa habeat.

10. Respondeo argumentum continere, talia corpora non esse verè, & proprie palpabilia, non tamen probare, non posse videri, & apparere palpabilia. Hæc enim duo valde diuersa sunt, nam sicut potest corpus apparere coloratum, licet vere tale non sit, vel esse rectum, aut curuum, integrum, aut contrafactum, licet in re aliter se habeat, ita etiam potest apparere palpabile, licet reuera tale non sit. Nam licet hæc deceptio difficilius sit in sensu tactus, non est tamen impossibilis. Contingere autem potest ex multis circumstantiis, quæ in huiusmodi apparitionibus considerari debent. Nam, v. g. in facto Abraham illi viri oculis apparebant veri homines, & habentes humanos pedes, ex quo conceptu, seu præiudicio etiam tangebantur, vt veri pedes. Deinde quamuis non haberent propriam densitatem, & duritiem naturalem pedibus humanis, nihilominus constare poterant ex vapore in suo gradu multum denso, & in illo esse poterant multæ ex qualitatibus tactu perceptibilibus, quibus omnibus adiungebatur resistentia ex parte Angeli artificiosa (vt sic dicam) id est, cum tali varietate, vt quædam partes duriores, aliæ molliores apparerent. Quæ omnia simul sumpta sufficiunt, vt corpus illud palpabile videretur, quia per qualitates aliquas est vere sensibile, & spissum aliquo modo: quod satis est, vt putetur resistere ratione spissitudinis, seu duritiæ, præsertim quando tangitur simplici animo, vt sic dicam, & ex illo præiudicio per oculos facto, & sine aliqua peculiari reflexione, & attentione, quæ ex aliqua ratione dubitandi, & suspicandi de deceptione oriatur. Sic aliquo modo explicari potest difficultas, quam Augustinus in explicanda tangibilitate istorum corporum sentit, nec illam tanquam certam proponimus, sed vt sufficientem, quandiu alia melior non occurrat ad difficultatem expediendam, & vt non credantur corpora illa ex vera carne, & ossibus constituisse: nam hoc nullo modo admittendum est.

11. Nec contra hoc obstant verba Christi Domini, imo illud maxime confirmant. Primo quidem, quia Christus Dominus postquam dixit, *Palpate, & videte*, statim addit, *Quia spiritus carnis, & ossa non habet, per spiritum non solum videtur intelligere spiritua-* lem substantiam, vt in se inuisibilem, sed vt in aliquo assumpto corpore apparentem. Discipuli enim non existimabant eum, qui cum eis loquebatur, esse purum, & inuisibilem spiritum: nam euidenter concupiebant esse corpus visibile sub hominis figura, & habitu, putabant autem esse aliquod phantasma, ergo de spiritu etiam apparente in corpore visibili ait Christus, carnem, & ossa non habere. Et hoc significauit Augustinus epistol. 146. dicens, *Christum discipulis de sua resurrectione dubitantibus, & illud, quod videbant non corpus, sed spiritum esse putantibus, dixisse, Palpate, & videte, &c.* Nomine ergo spiritus etiam phantasticum corpus comprehendit. Et ex verbis eiusdem Euangelii id colligi potest, scilicet, *Conturbati vero, & contritæ existimabant se spiritum videre.* Non enim existimabant se videre purum spiritum, sed in corpore phantastico sibi apparente, ergo in eodem sensu loquitur Christus de spiritu, & illum dicit carnem,

GE 3

nem,

nem, & ossa non habere, utique propria, & vere palpabilia. Unde adiungit, *Sicut me videtis habere*. In quo ultimo verbo significavit longe aliter fuisse suum palpabile, quam sint corpora ab angelis assumpta, corpus enim Christi vere, & realiter est palpabile ratione propria densitatis, & aliarum qualitarum tangibilium connaturalium corpori humano, ut dicitur Thomas supra exponit, corpus autem ab angelo assumptum in re ipsa nunquam est ita palpabile, sed solum apparenter modo explicato.

12. *Progre-* Unde etiam ex facto illo Christi Domini colligere
tur expo- licet, si summa cura, & diligentia, & aduertentia in-
sitione tellectus adhibeatur, posse medio tactu per ratio-
Christi nem discerni, an corpus quod tangitur verum sit, vel phantasticum. Nam ideo dixit Christus ad discipulos, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, ut cum magna consideratione attenderent, & experirentur non aliter eorum manus immutatas fuisse a suo corpore, quam soleant ab humanis corporibus immutari: quod forte non ita contingit in corpore phantastico, & si homo attenderet, posset id discernere. Et ideo Caietanus 2. 2. quaest. 95. artic. 3. illud Christi signum, seu argumentum fuisse verissimum. Et alii addunt esse per se sufficiens, & efficacissimum ad veritatem corporis Christi ostendendam. Quod non est ita intelligendum, ut solum illud signum fuerit sufficiens ad certam fidem faciendam, sed ad moralem quandam certitudinem, & evidentiam, ut in citato loco 3. p. dixi. Nam si sola illa experientia attendatur in rigore, posset ei subesse falsum, si alia signa, & testimonia illi non coniungerentur, ut D. Thomas in eodem loco dixit. Exlimoque divina saltem virtute posse fieri corpus apparens humanum ita simile vero corpori, etiam quatenus palpabile est, ut non possit homo per sensum tactus inter verum, & falsum corpus discernere. Ideoque solum tactum non sufficere, licet maximum indicium sit inter sensibilia, in quo sensu dixit Christus, *Palpate, & videte*, &c. & ideo Augustinus lib. de unit. Eccles. cap. 19. circa medium dixit: Ipse Dominus Iesus, cum resurrexisset a mortuis, & discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallacia se pati arbitarentur, magis eos testimoniis legis, & Prophetarum, & Psalmorum confirmandos esse iudicavit.

CAPUT XXXVI.

Qualis unio Angeli ad corpus necessaria sit, ut illud assumere dicatur.

1. *Dubitandi* Ratio difficultatis est, quia non dicitur Angelus
ratio. assumere corpus, eo ipso quod illud localiter mouet, ergo praeter motionem requiritur specialis unio cum corpore, ut illud assumat, qualis autem haec sit, non videtur posse explicari, in quo ergo consistit haec corporis assumptio? Primum antecedens inductione patet. Nam Angelus mouens caelum non dicitur illud assumere, neque ille qui rapuit Philip-pum, vel qui Habacuc duxit in Babyloniam in impetu spiritus sui rapuit tale corpus, seu personam. Imo etiam non dicuntur demones corpora obsessorum assumere etiam intra illa sint, eaque moveant, vel per illa loquantur. Unde probatur prima consequentia: nam haec denominatio assumendi corpus realis est, ergo ab aliqua causalitate reali, vel formali, vel effectiua oriri debet, quia non potest alia ratio, vel causa cogitari: sed non potest fundari in causalitate efficiente, quia angelus nullam aliam, praeter motionem localem, in corpus habere potest, ergo necesse est, ut ab aliqua unione formali inter spiritum, & corpus illa denominatio sumatur. Potestque declarari, nam licet angelus cesset mouere localiter corpus, quod se-

mel assumpsit, semper dicitur habere illud assumptum, quando illud non dimittit, ergo signum est fieri aliquam unionem permanentem absque locali motione. Denique confirmatur ex vi eiusdem verbi, *assumere*, nam idem significat, quod ad se sumere, propter quam verbi vim, solus filius dici potest assumptum se humanitatem, & non Pater, nec Spiritus sanctus, licet efficientia unionis communis sit. Ergo similiter, proportionate seruata, angelus ad se sumit corpus, sumere autem ad se non est illud localiter mouere, sed sibi illud coniungere, & vnire, est ergo necessaria aliqua formalis unio, quam vero sit hoc difficile ad explicandum, & credendum, ex dicendis patebit.

Duplex enim unio inter corpus, & spiritum generaliter distingui potest, substantialis, scilicet, & accidentalis. Dixerunt ergo aliqui illam assumptionem fieri per unionem substantialem corporis ad Angelum. Quod videtur insinuate Tertullianus supra. Et Aureolus dixit non repugnare Angelum unum corpori assumpto per modum forme substantialis, ac subinde substantialiter. Alii etiam dixerunt posse vniri hypostatice, ergo poterit etiam haec assumptio secundum aliquam istarum unionum explicari. Nihilominus certissimum est apud omnes, non enim substantialem unionem inter Angelum, & corpus esse assumptum. Ita supponunt omnes Theologi, & colligitur ex D. Thoma dicto art. 1. ad 2. & in art. 2. & in hoc assentit Aureolus in 2. dist. 8. q. 1. Et ratio in primis est, quia talis unio substantialis duplex tantum intelligi potest, scilicet, formalis, seu per modum forme substantialis, vel hypostatica, seu per modum suppositi. Vtraque autem est impossibilis, iuxta probabiliores sententias. De formali videri potest D. Thomas in 1. q. 1. art. 6. & ibi Capreolus q. 1. art. 1. concl. 4. & ad argumenta contra illam, ubi alia loca D. Thomae refert. Ratio inter est, quia licet Angeli dicantur forme subsistentes, quia non constant ex materia, sed habeant simplicem essentiam, nihilominus non sunt formae, quatenus per hanc vocem significatur actus quidam incompletus, aptus ad terminandam potentiam materiam, & componendam cum illa integram substantialem naturam per se vniam. Nam si angeli ex natura sua essent huiusmodi formae, essentia in completa, & naturaliter postulare corpora sibi unita: utrumque autem falsum est, ut in libro primo est ostensum.

Hinc ergo fit, ut prorsus repugnet angelum substantialiter informare corpus, quod assumit. Tum quia causa formalis adeo est intrinseca, ut suppleri non possit per aliquid quod ex natura sua forma non sit: & ideo neque Deus ipse potest supplere vicem causae formalis, nec lux potest formaliter consistere calidum, licet calorem eminenter contineat, eumque efficiere possit, sed substantia angeli ex natura sua non est vera forma, imo neque ullam formam substantialem emittit, ergo nullo modo potest materiam substantialiter informare. Tum etiam, quia angelus est substantia completa, & similiter eius natura est completa essentia substantialis, ergo non potest per se vniri materiam ad componendam cum illa nouam naturam substantialem per se vniam. Unde non minus repugnat angelo similis informatio, quam naturae integrae ligni, aut lapidis, vel similibus, quia tam completa est in suo esse simplici substantia angelica, quam est quaelibet substantia composita in esse suo.

De altera vero unione hypostatica disputatur quidem a Theologis, an sit possibilis in persona create. Ratio est, & probabilis creditur etiam illam esse simpliciter impossibilem (ut dixi in tom. 3. p. disp. 13. sect. 4.) Verumtamen quicquid sit de possibili in ordine ad absolute Deipotentiam, de ordinaria loquendo, & de facto certissimum esse debet, nullam aliam unionem hypostaticam factam esse, nec esse futuram praeter eam, quae inter verbum diuinum, & humanam naturam facta est, ut in eodem loco ostendi. Et reuera in nobis pro-